



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disput. XXII. De Causa materiali & formali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

VI. Septimò dividitur causa in univocam, quæ in prædicatis convenit cum effectu, ut cum ignis producit ignem, calor calorem &c. & Equivocam, quando scilicet causa in prædicatis est dissimilis affectui, ut cum Deus producit Angelum, sol lucem &c.

VII. Octavò, in causam per se, & per accidens: causa per se illa dicitur, quæ necessaria est ad aliquem effectum, ut peritia ædificandi in architecto respectu domus ædificandæ; & hoc sensu dici potest substantia aquæ causa per se frigoris in manu; à frigiditate illius aquæ producti, licet aqua ipsa ad frigoris illius productionem immediatè non concurrat; quia nimirum per se, seu necessariò requiritur ad conservationem frigoris in aquâ, & sic, saltem mediatè, concurrat ad

frigus illud producendum. Causa per accidens est, quæ concomitantè solum se habet ad effectum, nec ullo modo ad eum est necessaria; ut in exemplo Aristotelis, medicus & musicus ædificant per accidens, quia licet architectus nec esset artis medicæ peritus, nec musicæ, adhuc æquè perfectè ædificaret, ac modò; unde musica & medicina sunt in ipso causa per accidens ædificij, quia ad ædificationem omnino non concurrunt.

Musicus ædificat per accidens.

Nonò tandem dividitur causâ in principalem, quæ primariò in effectum aliquem influit, & instrumentalem, quæ solum concurrat secundariò; ut artifex est causa principalis; ferra, securis, malleus, instrumentales. Qua de re plura infra d. 2. 4. s. 2.

VIII. Causa principalis, & instrumentalis.

DISPUTATIO XXII.

De causâ materiali & formali.

SECTIO PRIMA.

In quo consistat ratio causæ materialis, & quomodo distinguatur ab efficiente.

I. Hic latè sumitur causa materialis prout idem sonat, ac subiectum, & convenit, non materiæ primæ tantum, sed animæ etiam rationali respectu intellectûs, ac voluntatis, & aliorum accidentium; quæ in se recipit: item Angelo respectu suorum actuum & proprietatum, respectu quorum dici potest aliquo modo causa materialis. Uno verbo, convenit omni subiecto respectu formæ cujuscuque, sive substantialis sive accidentalis, quam in se recipit.

II. Notandum, materiam duplici ratione respicere formam in constitutione cujusvis compositi materialis, ut compartem, & ut aliquo modo effectum. Prima ratio est, cum recipit formam per unionem, & constituit compositum; & hac ratione respicit etiam & recipit animam rationalem, idque licet unio esset creata, cum non minùs verè cum illâ tanquam cum compartem constituat compositum, etiam per unionem creatam, quàm cum formâ materiali & unionis generatis, & educis de illius potentiâ. Alia ratio, qua materia respicit formam, est tanquam subiectum sustentationis, & hoc modo formas tantum materiales respicit, ad quas concurrat, materialiter in eas influendo. De utrâque ratione aliquid obiter dicendum.

III. Dico primò: materia prout est subiectum sustentationis formarum materialium, exercet veram & rigorosam rationem causæ respectu illarum. Ita Philosophi communiter. Probat, verè enim influit esse in aliud, materialiter siquidem influit in formas, realiter à materiâ distinctas, ergo materia est propriè causa respectu illarum, cum hic sit conceptus, & definitio causæ.

IV. Quòd verò materia verè influat in formas materiales, videtur certum, tum quia generantur, & educuntur ex potentia materiæ, ergo materia ad illas concurrat; tum quia aliter se habet materia erga illas, quàm erga animam rationalem, quam tantum recipit informativè, sed per unionem, ergo formæ materiales peculiari modo pendent à materiâ. Deinde, dicuntur præcontineri in materiâ, quod tamen animæ rationali non competit; licet enim reluceat anima rationalis in materiâ, tanquam compars in

comparte, ut supra diximus, non tamen tanquam effectus in causâ, seu tanquam præcontentum in præcontinente. Probat, primò, actio generativa & creativa distinguuntur essentialiter, sed non ex eo quòd dependeat actio generativa à materiâ tanquam à subiecto tantum denominationis, hoc enim competit creationi, quæ est in termino tanquam in subiecto denominationis, & intimæ affectionis, ergo quod ab eâ dependeat, tanquam ab influente. Probat, secundò, alioqui formæ omnes materiales, & accidentia existere naturaliter possent separata, & independentè à subiecto, sicut anima rationalis, quod tamen ab omnibus negatur, dicunt enim Deum concursu miraculoso conservare accidentia Eucharistiæ, supplendo scilicet concursum materiæ.

Hinc deduco, compositi ut compositi causam, hoc sensu, esse solam materiam, non formam. Ratio desumitur ex dictis lib. 1. nam compositum, ut compositum reduplicat compositionem seu unionem; cum ergo juxta nos sola materia sit subiectum sustentationis respectu unionis, materia sola erit propriè causa compositi, ut compositum est.

V. Quò sensu materia sit sola causa compositi.

Dico secundò; tam materia quàm forma possunt dici causæ respectu compositi. Probat, nam licet influere, propriè loquendo, significet influxum aliquem, seu causalitatem secundariam procedentem à re, quæ est causa (qualis est influxus, seu actio procedens à causâ efficiente, & passio procedens à causâ materiali) possunt tamen tam materia, quàm forma dici aliquo modo influere, & dare esse composito per unionem, quâ quasi influunt, & communicant se composito, & dant se illi partes constitutivas.

VI. Tam materia, quàm forma sunt causa compositi.

Dices; ergo Deus Pater (idem est de aliis Personis) erit causa Trinitatis. Nego consequentiam, quis enim non videt latam disparitatem inter materiam & formam respectu compositi, & personam aliquam Divinam respectu Trinitatis, cum materia & forma tanquam entia essentialiter incompleta ordinentur ad constitutionem unius per se. Pater autem in Divinis non est quid incompletum, ut est manifestum.

VII. Persona Divina non sine causa Trinitatis.

Nec ullus dicit tres Divinas Personas coalescere ad faciendum unum per se, seu constituere unum compositum, sicut coalescunt & constituunt materia & forma. Eo tamen modo, quo Trinitas est unum, non in naturâ, sed ut tres Divinæ Personæ constituunt numerum ternarium: admitti potest Patrem

VIII. Sunt tamen partes illius constitutivæ.

tem, aut Filium in Divinis esse partem vel principium intrinsecum Trinitatis: sicut plurimi ex Theologis admittunt Verbum esse partem intrinsecam Christi.

IX. Dico tertio: causa materialis, prout dicit influxum respectu termini, in quem influit, seu prout dicit subjectum sustentationis, in hoc differt ab efficiente, quod licet utraque sit principium per se influens esse in aliud, efficiens tamen quæ efficiens, id præstat sine intrinsecâ mutatione sui, materialis verò ita influit in aliud, ut ex præcisâ ratione causandi materialiter petat immutari; quæ de causâ, illius influxus vocatur passio, quod nimirum ab illâ subjectum patitur.

X. Dixi causam efficientem quæ efficientem influere sine mutatione sui; aliquando enim (ut in intellectu, visione, & actibus omnibus vitalibus, & immanentibus) contingit causam efficientem per influxum suum mutari: sed hoc ab ea non provenit, ut causa efficiens est, sed ut simul est materialis, unde intellectus, & omnis potentia vitalis respectu sui actus est non solum causa efficiens, sed etiam materialis, & ut efficiens efficit actum suum, ut materialis eundem recipit: & hoc peculiare est actibus immanentibus, qui petunt inesse principio à quo fluunt, & illud intrinsecè immutare.

XI. Ratio ergo causæ efficientis habet se præcisivè ad receptionem suæ actionis, & illam in conceptu suo non includit, licet etiam positivè non excludat, ita ut non possint hæc duæ rationes subinde inveniri identificatæ. Sicut etiam animal præcisivè se habet ac rationale, hoc est, illud in conceptu suo non involvit, licet positivè non excludat, nec tenuat quod minus illud aliquando habeat concomitanter quoad realem identificationem, ut contingit in homine.

XII. Hinc evidens deducitur ratio, cur Deus ad effectum ullum concurrere materialiter non possit, argueret enim in eo imperfectionem & mutationem. Potest tamen in alio genere causæ, nempe efficientis, supplere defectum causæ materialis, seu concursum secundarium subjecti in formas, vel accidentia, sicut de facto fit in speciebus sacramentalibus; hoc enim nullam dicit imperfectionem.

XIII. Ultimò hic noto, tres communiter esse effectus materiæ, & omnis causæ materialis, *formam, unionem, & compositum*; in unionem & formam materialem verè influit per causalitatem, & influxum, ut diximus, nam materialiter in illas influendo concurrat per passionem, quæ eadem realiter est cum actione, seu concursu agentis. In compositum verò non alio modo influit quàm dando se illi tanquam partem illius intrinsecè constitutivam, & hoc modo causat totum inadæquatè saltem à se distinctum, nempe tanquam includens ab incluso, ut supra dictum est.

XIV. Quomodo causalitas materiæ in formam distinguatur ab unionem formæ cum materia, dictum est supra d. 14. s. 8. & 6. Qua ratione verò actio distinguatur à passione, dicitur infra d. 40. sec. tertia.

SECTIO II.

De causâ formali: ubi de pugna formarum, præsertim accidentalium inter se.

I. Notandum primò, formam, licet non influat physicè in unionem, & consequenter nec hoc sensu in compositum, sicut influit materia, sicque rigorosam illam causæ rationem, quam habet materia respectu formæ & unionis, non fortietur, in illo tamen convenire cum materiâ, quod verè con-

stituatur compositum, & hoc modo influat in illud, nempe dando se illi intrinsecè ut partem illius physicè constitutivam. Licet, ut supra dixi, d. 15. s. 1. nec materia, nec forma sit propriè causa respectu compositi. Cujus ratio ulterior est, quia materia, ut pars actualis, includit in obliquo tam unionem quàm formam, & forma eodem modo unionem & materiam, materia autem unio & forma sunt totum, ergo materia (idem est de formâ) ut pars actualis est totum, ergo non potest esse causa totius, cum nihil possit esse causa sua.

Notandum secundò, causam formalem duos habere effectus formales, primarium alterum, alterum secundarium: effectus primarius est ipsa forma unita subjecto, cui tribuit effectum suum formalem, & denominationem primariam; ut albedo unita subjecto denominat illud album, lux lucidum &c. qui proinde effectus, semper comitatur causam formalem. Effectus formalis secundarius non est mera forma in subjecto apto, sed quid consequens, ut calor unitus subjecto per effectum primarium denominat ipsum calidum, secundariò expellit frigus. Unde per Divinam potentiam impediri nonnumquam potest effectus secundarius alicujus formæ; non primarius, Deus enim, si calor ponatur in subjecto apto, impedire nequit quominus denominet illud calidum, efficere tamen potest, ut non expellat frigus, potest enim, etiam in summo calore & frigus simul in eodem subjecto conservare.

Alio tamen modo expellit calor frigus, quàm ignis idem frigus expellat; ignis enim illud expellit solum efficienter, producendo scilicet calorem, calor autem unitus subjecto, expellit frigus formaliter per suam entitatem. Unde effectus formalis adæquatus caloris, primarius scilicet, & secundarius simul, est calidum sine frigido, id est, sine gradu frigoris sibi opposito; in conceptu enim adæquato involvitur utramque.

Dico itaque, eodem instante reali quo introducit una forma substantialis (idem est de accidentalibus, in gradibus in quibus sunt sibi invicem contrariæ) expellitur alia. Conclusio est communis contra Lorcam To. 2. in 1. d. 4. de gratiâ. Probatur conclusio, nam alioqui in eodem instante reali essent simul in eadem parte subjecti duæ formæ substantiales, item calor & frigus in gradibus repugnantibus, peccatum & gratia &c. vel saltem esset materia uno saltem instante reali sine omni formâ. Probatur sequela, si non destruitur & expellitur forma præcedens eodem instante, quo altera inducitur, ergo vel instante præcedente destruitur, vel sequente: si primum, per unum instans realis durationis materia est sine omni formâ; si secundum, per unum instans realis durationis erit sub duabus, ergo. Nec in hac re ulteriore opus est probatione, cum res per se fit manifesta.

Dices; ergo ignis & aqua, calor & frigus, & alia hujusmodi non pugnant inter se, quod & est contra communem Philosophorum sententiam, & ipsam quotidianam experientiam. Probatur sequela, calor non pugnat cum frigore antequam existat, sed eo instante quo calor est, frigus, secundum nos, non est; ergo non pugnant inter se, cum non magis pugna-re possit frigus, postquam est destructum, quàm calor antequam producat, ergo ut inter utrumque detur pugna, debent ambo, uno saltem instante, simul existere.

Resp. ad hanc pugnam tantum abest ut necessaria sit utriusque coexistentia, ut, si vel ad unum instans existere simul possent, non pugnant: pugna siquidem hæc aliud nihil est, quàm naturalis quædam contrarietas, seu repugnantia, & impossibilitas ut

In quo differat causa influens materialiter ab efficiente.

Eandem iterum est causa materialis, & efficiens.

Causa efficiens habet se præcisivè circa receptionem sui effectus.

Deus esse non qui causa materialis.

Tres sunt effectus materiæ, forma, unio, & compositum.

II. *Causa formalis duo habet effectus formales, primarium, & secundarium.*

III. *Ignis expellit frigus efficienter, calor formaliter.*

IV. *Eodem instante in quibus inducitur una forma in alia, alia expellitur.*

V. *Dices; ut calor, & frigus pugnant, atque utrumque simul existere.*

VI. *Resp. hanc pugnam requirere non coexistentiam, ut*

ut sint simul in eodem subjecto.

VII. Deinde si possunt esse simul quoad unum instans, non apparet cur non possint esse simul diutius, sicut supra arguebamus d. 18. f. 3. n. 5. si causa possit agere primo instante quo non est, quidni etiam ullo se sequentibus? cum ergo calor & frigus in summo sint agentia naturalia, si repugnant, necessarid repugnant, ergo pro primo instante, vel nec repugnabunt secundo, nec sequentibus, omnia enim instantia usque ad illud instans in quo dicuntur repugnare, perinde se habent ad instans illud, atque si non fuissent.

VIII. Pugna itaque inter calorem & frigus (si sit sermo de pugna formali) nihil aliud est quam repugnantia ut simul quoad certos gradus existant, & pugnare hic frigus idem est ac repugnare: unde resistit frigus in subiecto instante priore quam expellitur, resistere enim frigus calori est obistere, vel obstare, quominus calor inducatur, obstitit autem & obstat quando est, quando vero expellitur, cedit, seu non amplius obstat, licet, ut dicatur actu resistere, debeat impugari ab agente aliquo parato inducere gradum caloris illi repugnantem: pugna autem per quam calor inductus in subiectum dicitur pugnare cum frigore quod expellit, nihil est aliud quam informare subiectum illud, & frigus expellere.

IX. Gradus ergo se invicem ab eodem subiecto expellentes non dicuntur proprie pugnare, cum nunquam eodem instante existant, sed pugnant proprie duo agentia, ignis, v. g. & aqua, inter quae datur actio & reactio, quippe quae sibi vires invicem diminuunt, producendo in se motus contrarias qualitates, ut ignis producendo in aqua calorem, & aqua vicissim in igne producendo frigiditatem. Et haec est ratio cur calor in igne lentius agar in aquam, quam in stuppam, quia nimirum frigus intentum aquae, active resistit, vires ignis diminuendo, & frigus in se per ignem destructum, ex parte refarciendo. Pugna proinde haec proprie exercetur inter principia effectiva, non formalia.

X. Quae declarari possunt exemplo duorum corporum, quorum unum aliud loco pellit, corpus enim ut ubicatum in illo loco obstitit, quo minus aliud pro eo tempore, quo est in illo loco inducatur, unde obstat ubicatio illa instante priore quam destruat, & quam ingrediatur aliud corpus, eodem autem tempore quo corpus illud ingreditur, expellitur hoc, & non resistit tunc, sed cedit: cedit tamen successive, sicut alterum inducitur; quo etiam modo cedit frigus calori, non totum simul, sed paulatim, & successive. Unde fit, ut paulatim etiam, & successive calor introducatur. Hoc tamen interest inter calorem & frigus, & inter duo corpora, quod utrumque corpus supponatur prius existere quam, unum aliud loco pellat, non sic calor & frigus prius quam ex eodem subiecto expellant: licet si instituat quae sitio de corporibus ut ubicatis, seu de ubicationibus ipsis, par videatur ratio in utroque exemplo. Plura hac de re dicam d. 7. de Gen. sect. 2.

SECTIO III.

De modo qua forma se invicem in subiectis expellunt.

I. Dicendum, formas accidentales expellere se invicem ex eodem subiecto in genere causae formalis ac proinde expulsio formae praecedentis est effectus formalis subsequenter, jam inductae. Probat, haec enim est vera causalis adeo corrumpitur frigus, quia introducit calor, non e contra, ideo introducit calor quia corrumpitur frigus. Conf. di-

cunt Philosophi, Generatio unius est corruptio alterius, non e contra, corruptio unius est generatio alterius.

Objicies primò; generatio est finis à naturâ intentus; ergo licet sit prior in intentione, erit tamen posterior in executione, ergo corruptio erit illa prior in executione, quia generatio est finis corruptionis. Sed contra, nam ut bene notat P. Arriaga d. 8. Phy. f. 4. n. 3. durum videtur Deum prius naturâ expellere ex animâ gratiam, ut locum faciat peccato, quoties justus de gratiâ decidit.

Resp. itaque negando primam consequentiam; licet enim finis executione posterior sit mediis, quae sunt proprie media, nempe quae efficiunt finem, vel antecedenter ad illum praerquiruntur, non tamen in ordine ad omnia respectu quorum quacunque ratione potest dici finis. Ex. g. essentia est finis passionum suarum & proprietatum, & anima finis intellectus, & voluntatis, & tamen via executionis passionis & proprietates non sunt priores essentia, nec intellectus, & voluntas priores animâ, cum ab illa dimanent, sicque supponunt eam esse, cum sit illarum causa. Idem est in praesenti, & universim in omni ablatione impedimentorum, quae auferuntur per ipsam formam inductam, cum enim forma auferat illa informando materiam, debet forma prius naturâ esse in subiecto, quam illa auferat, cum auferat existendo in subiecto, & haec causalis est vera, ideo auferatur frigus quia calor est in subiecto, non e contra. Finis ergo licet quidem sit executione posterior mediis quibus acquiritur, & conditionibus ad finem requisitis, non tamen conditionibus ab ipso fine ortis, qualis hic est expulsio, vel destructio formae praecedentis, utpote quae ob novae inductionem destruitur.

Urgebis tamen ulterius: expulsio formae praecedentis est dispositio ad inductionem sequentis, ergo prius expellitur, quam alia inducatur, ergo expulsio illa non est effectus formae inductae, cum sit prior illa; vel concedenda est mutua prioritas: Antecedens verò probatur, frigus enim est impedimentum ad inductionem caloris, sed prius debet auferri impedimentum inductionis formae, quam forma inducatur, sicut in aliis impedimentis videmus, ergo. Resp. negando antecedens, non enim est dispositio, sed quid consequens inductionem formae sequentis, cum inductio illius reddatur pro ratione expulsionis hujus in propositione causali, ut vidimus, ideo enim expellitur frigus, quia inducitur calor. Ad probationem nego minorem, si enim sermo sit de prioritate temporis, ablatio prioris formae, quae impediabat, est in eodem instante, vel tempore reali cum inductione alterius, ac proinde nulla requiritur prioritas temporis: si verò loquamur de prioritate aliquâ rationis & naturae, ablatio impedimenti, seu prioris formae, est posterior inductione sequentis, ut ostensum est.

Quodd verò dicitur ablationem impedimentorum esse priorem effectione rei, quam impediabant, animadvertendum diversa esse genera impedimentorum, alia enim sunt impedimenta, quae quasi praevie, etiam tempore, auferri debent, ex. g. ut quis aperiat ostium, debet prius retrahere seram, vel pessulum, ut lux ingrediatur, seu producatur in cavea, aut cubiculo, debent aliqua ratione prius aperiri fenestrae, ut quis constructus catenis currat, debent prius dissolvi, vel diffringi catenae, & alia hujusmodi.

Alia verò impedimenta sunt, quae per positionem alterius auferuntur, & horum ablatio non est prior positione illius, per quod auferuntur, sed posterior, & illius effectus. Sic diversa ratione se habet apertio fenestrae ad ingressum lucis, & ad ingressum venti, quando scilicet per motum, & impullum venti aperitur.

II. Primum in intentione est ultimum in executione.

III. Quibus mediis finis sit executione posterior.

IV. Dico, ex pulso prioris formae est dispositio ad inductionem formae inductae.

Resp. non esse dispositionem, sed illius effectum.

V. Duo genera impedimentorum.

VI. Quaedam impedimenta auferuntur per positionem alterius.

ritur, nam ad productionem lucis apertio fenestree est quasi dispositio, & conditio antecedens, quia lux nullo modo est causa apertionis fenestree; at vero respectu ingressus venti, apertio fenestree non est conditio antecedens, sed effectus, cum ventus per impulum occupando spatium, in quo erat fenestra, illam propellat loco; ac proinde est causa cur fenestra relinquat locum illum, & alium occupet per motum & impetum in ipsam a vento impressum.

VII.
Prius natura quis ingreditur domum aliquando, quam ostium aperiat.

Dices, ergo si quis eodem impetu aperiat ostium, & ingrediatur cubiculum, prius ingreditur, quam aperiat ostium, quod tamen videtur mirum. Distinguo consequens, prius tempore, nego consequentiam; prius ratione & natura, concedo; non prius tempore, nam eodem tempore quo ostium relinquit locum, homo eundem occupat, cum sit ostio immediatus, alioqui dabitur vacuum. Quod autem prius natura & ratione id fiat, nil aliud dicit quam motum illum, & ingressum hominis in locum ostij, esse causam cur ostium locum illum relinquat.

VIII.
Sufficit ut unum corpus eodem tempore locum relinquat, quo aliud ingreditur.

Instabis, non est aptus locus ille ut homo illum occupet, nisi prius deseratur ab ostio, cum simul in eodem loco esse non possint. Nego antecedens, sed sufficit simul dari seu relinqui a corpore illo eodem tempore quo homo ingreditur, tunc enim nullum est impedimentum, & consequenter locus est aptus ad recipiendum hominem, vel aliud corpus, quod illo tempore succedit in locum ostij: si vero propellatur ostium ab homine ingrediente, tunc prius natura est ibi homo quam illud expellatur, hoc enim nihil aliud est quam dimoveri corpus illud per ingressum hominis, seu per motum ostio impressum.

IX.
Pro eodem signo rationis, quo calor est in subjecto non intelligitur frigus non esse.

Objicies secundò; pro illo priori intelligitur calor esse in subjecto, ergo intelligitur frigus non esse in subjecto. Distinguo consequens, non esse pro illo priori, nego consequentiam; pro aliquo posteriori, concedo: effectus enim non est pro eodem signo rationis cum causa, sed illa posterior. Instabis, pro illo priori non intelligitur expulsio, seu non esse frigoris, ergo pro illo priori intelligitur frigus, ergo simul in eodem subjecto intelligitur calor & frigus, ergo sunt ibi simul in gradibus repugnantibus. Resp. negando primam consequentiam, in illo enim priori nec intelligitur frigus, nec non frigus, sed habet se intellectus præcisive circa tam frigus quam illius negationem pro illo priori. Quod evidens videtur in causa liberà, quoties se exercet, & actum liberum elicit.

Objicies tertio; agens fortius, ignis ex.g. subjecto alicui applicatus, etiam antequam quidquam in eo producat, petit ut Deus frigus conservare desinat, ergo destructio frigoris est natura prior inductione caloris. Resp. negando antecedens, agens siquidem non expellit frigus formaliter, sed solum efficienter, per calorem scilicet a se productum.

XI.
Agens solum efficienter expellit formam.

Objicies quarto; licet hæc forte probent de formis accidentalibus, formæ tamen substantiales non videntur destitui ad introductionem novæ formæ substantialis, sed antecedenter semper ad eam, ad destinationem scilicet dispositionum, ideo enim expellitur forma ligni, quia deficiunt dispositiones, ad eam conservandam sufficientes, harum autem destitio semper antecedit inductionem formæ novæ substantialis, ergo prius destruitur forma præcedens, quam nova inducatur.

XI.
Quo modo se habent pugna inter formas substantiales.

Resp. tamen probabiliter sustineri posse expulsionem prioris formæ substantialis sequi ad introductionem novæ: unde hoc modo statui possunt signa rationis. In primo signo ignis applicatur ligno: in secundo producantur dispositiones ad formam ignis: in tertio destruantur dispositiones ligni, & forma ignis introducit: in quarto demum destruitur forma ligni. Unde dispositiones formæ ignis ad hæc duo concomitanter determinant, nempe ad destructionem dispositionum ligni, & productionem formæ ignis. Si quis verò contendat, destructis dispositionibus ligni expellendam formam ligni, sive forma ignis producat, sive non; hoc ad summum probat concomitanter se habere expulsionem formæ ligni, & inductionem formæ ignis: quod est satis probabile.

XII.
Dicitur hic potest expulsio prioris formæ efficiat nova.

Quæres, in quo consistat hæc causalitas causæ formalis, respectu formæ corruptæ, caloris ex.g. respectu frigoris, quod expellit, aut formæ ignis respectu formæ ligni, ab illa expulsæ. Primò, certum videtur non esse solam unionem formæ cum subjecto, cum hæc per Divinam potentiam dari possit, sine expulsionem alterius formæ. Nec etiam consistit in unione caloris, & destructione frigoris, potest enim Deus, non ob calorem inductum, sed alias ob causas, frigus in his circumstantiis destruere; quo casu non expelleretur frigus propter calorem. Consistit ergo hæc secundaria causalitas, si sumatur adæquatè, in unione formæ cum subjecto, connotando voluntatem Dei volentis expulsionem frigoris propter existentiam caloris, jam subjectum informantis.

XIII.
In quo consistat causalitas formæ secundariæ.

DISPUTATIO XXIII.

De causa Finali, & exemplari.

SECTIO PRIMA.

Explicatur & dividitur causa Finalis.

I.
Quid sit causa finalis.

Aristoteles I. 2. phy. cap. 2. 3. & 7. & 2. Met. tex. 8. & alibi sæpè sic causam Finalem definit: *Finis est cuius gratia cetera fiunt.* Quam definitionem aliis verbis sic tradunt aliqui: *finis est propter quem consequendum aliquid fit.* Finis ergo est illud ob cuius amorem, & complacentiam movetur quis ad aliquid agendum, ut, ob sanitatem amarum sumit potiones amaras infirmus, uri se patitur, secari &c. Ubi notandum, voluntatem amare sani-

tatem præcipuè & propter se, medicinam propter sanitatem; unde sanitas est objectum formale, medicinæ sunt objecta materialia, quia in illis non sistit voluntas, sed ulterius progreditur. Quod etiam contingit in aliis omnibus rebus. Idem tamen objectum potest simul nonnumquam amari ut medium & ut finis, si nimirum in ipso repræsententur duæ bonitates quasi disparatæ, ut si deambulatio aliqua ametur, & quia jucunda, sub quâ ratione est finis, & non ulterius ordinata, & quia utilis sanitati, ubi amatur ut medium. Idem est in portione aliqua seu medicinâ dulci.

Idem eodem actu amari potest ut medium, & ut finis.

Dividitur primò Finis in Finem cui, & finem qui. Finis cui est res illa vel persona, cui bonum amatur, ut Petrus est finis cui sanitatis, Finis qui, seu cuius gratia est